

bus, ait, *judicandi potestas data est, per quam Demones, ut nostris oculis videmus, judicare non desinunt, usque ad presentis Seculi consummationem Glorificati cum Christo.* Sub finem quoque Libri dilucidius ait in Apocalypsi demonstrari, quomodo Martyres cum Christo Regnent, Beatitudinemque etiam ante Antichristi adventum obtineant. Ergo Repromissio, expectanda dumtaxat in fine Mundi, Gloriam tantummodo redvivæ Carnis indicat, aut additamentum & complementum Beatitatis, quo tunc Justî, Anima & Corpore simul conjunctis, donabuntur. Tradit etiam Cæsariensis ille Andreas cap. XLII. *Beatos esse non omnes, sed illos dumtaxat, qui in Domino moriuntur, & Deo placuerunt.* Talium namque ex Corpore exitus veram a laboribus Requiem adfert. Quod autem ex operibus nascitur, illud immarcescibilem Coronarum, gloriosorumque Præmiorum causâ existit. At, inquires, Scriptor hic cap. XVII. de Sanctis sub Altari quiescentibus, in hæc verba loquitur: *Interim usque ad fratrum suorum mortem, ne ante illos juxta Apostolum consummentur, moram istam patienter ferre jubentur. Splendore tamen circumfusi, etiamsi promissorum bonorum hæreditatem necdum adepti sunt. Ita sane. Verum quæ subsequuntur, animadvertite. Eorum itaque, ait, bonorum spe, quæ spiritali oculo nunc contemplantur, ab omni interea crassitudine exuti, merito lætetur, nec non in Abrabæ Sinu pacate Requiescere feruntur. Quid vero sit Sinus Abrabæ Scriptori huic, is nobis edicat. Describit ille cap. LVI. mysticas Agni nuptias, hoc est Beatorum vitam ac delicias in Coelis; atque inter cetera inquit: *Quum varia & magna futuri sæculi sint Bona, quæ omnem mentem & cogitationem multis partibus susperant, illorum usus & participatio variis multisque nominibus exprimitur. Quandoquidem præter incomparabilem Gloriæ, Splendorisque magnitudinem, Beatorum merces aliquando Regni Cœlestis nomine designatur. Nonnumquam vero, quod Bonorum omnium copia, quæ nunquam deficiunt, affluit, & esculentorum spiritualium omnium apparatu abundet, Paradisus vocatur. Quandoque autem Sinus Abrabæ appellatur, ea fortassis de causâ, quod vita defuncti ibi sortiantur Requiem. Interdum denique Thalami & Nuptiarum vocabulo insinuantur &c. Verbis-ne meis indiget Lector, ut intelligat post hæc, quid in superiori loco Andreas significet, quum ait, Sanctos nunc in Abrabæ Sinu pacate Requiescere? Rursus vero, nisi ipsum velis scèdissime sibi met ipsi contradicentem, fateri cogaris, nihil adversari præsentî Justarum Animarum Beatitati, quod ab ipso dicitur, scilicet nondum Sanctos Repromissionem, seu Hæreditatem accepisse. Et præcipue postquam ipse in Præfatione dixit, Anagogicum Scripturarum sensum convenire in homines vitæ hac luce perfunctos, in quibus Carnis sensu motuque perfecte subjugato, solus Spiritus Regnum obtinet.**

Quod vero pertinet ad Aretban, vix alia illi mens fuisse potuerit, quum is Andræ Commentarios in suum pæne transfuderit. Et profecto cap. x. ad Apocalypseo verba; *Et abjicientes Coronas suas, 10. hæc ille adnotat: Coronas misisse ante thronum, victoriam præse fert, quem-*